



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmmae Virtvtvm, Ac Vitiorvm , Tomus ...**

**Guilelmus <Peraldus>**

**Lvgdvni, 1585**

De vitio indeuotionis. Cap. XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46161](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46161)

extendat. Sen. A stultitia nemo emergit, nisi manum porrigat ad laborem. ¶ Undecima est, quod potius eligit per aquam diuitiarum & deliciarum ire ad mortem suam quam aliquantulum laborando per terram siccam pauperari, ad portum peruenire vite. Diuitia & deliciaeque aqua sunt tendentes ad mare inferni. Ideo prohibemur ponere pedem nostrum super aquam. In Psal. ibi: Diuitia si affluant, nolite cor apponere. ¶ Duodecima est, quod ipse potius eligit in carcere immundo in quo ad mortem fematur remanere, quam pro euasione sua laborem exeundi sustinere. Mundus iste carcer est peccati.

*De vitio indeuotionis.*

CAP. XIII.

Vitium indeuotionis est, tertiumdecimum. Et est indeuotio quaedam ariditas spiritualis. vnde Psal. Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Et Num. 11. Anima nostra est arida, nihil respiciunt oculi nostri nisi manna. Prouenit autem ista ariditas multis de causis. ¶ Quandoque ex superbia, quae est mors Gelboe, in quo nec ros nec pluuia descendit. Vnde Ber. loquens in persona illius qui deuotione amisit occasione superbiae, dicit: Ab heri & nudius tertius inuasit me languor animae, & inde hebetudo insolita, quaedam inertia spiritus. Superbia inuenta est in me, & Deus declinavit a seruo suo in ira. Non compungi ad lacrymas queo, tanta est duritia cordis ut non sapiat psalmas non legere libet, non orare delectat, meditationes solitas non inuenio. Ideoque ad opus manuum piger, ad vigilias somnolentus, ad iram praecipuus, ad odium pertinax linguae & gulae indulgentior, securior, & obrusior ad predicationem. Heu omnes mores in circuitu meo visitat dominus: ad me autem non appropinquat. ¶ Quandoque autem prouenit ariditas ista ex defectu cibi spiritualis. vnde Psalmist. Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum. ¶ Prouenit etiam quandoque ex acedia. Cum ceterae creaturae ex otio impingunt, & ex labore attenuentur: anima humana e contrario ex labore impinguatur, & ex otio, & deliciis attonatur. Vnde Prover 13. Vult & non vult piger: anima autem laborantium impinguabitur. Quod ideo accidit, quia opera bona cibi sunt eorum qui ea faciunt. vnde vita spiritualis sustentatur & roboratur. Homines vero qui patiuntur illam spiritualem ariditatem, duri sunt frequenter ad ea quae sunt pietatis, & inflexibiles ad ea quae sunt obedientiae. Dura facilius franguntur, quam flectantur. Si ad ignem tribulationis ponantur, nihil spiritualis pinguedinis emittunt: quia nec gaudent nec gratias agunt, sed statim ardent & exuruntur per impatientiam. Ad modicum statum tentationis igne peccati succenduntur. Ad bo-

na opera sunt steriles. Quæ aliis facilia sunt vel etiam iucunda, videntur eis importabilia: sicut panis aridus quâdoque transglutiri nō potest qui tamē adiutorio liquoris delectabilis efficitur.

*De vitio Tristitia in diuino seruitio. CAP. XIII.*

**T**ristitia est *xiiii.* vitium pertinens ad acediam. Et notandum quod tristitia est vitium valde detestabile in seruitio diuino: valde enim displicet Deo, & placet diabolo, & homini valde nocet. ¶ Primum patet illud 2. ad Cor 9. Hilarem enim datorem diligit Deus. Et e contrario. Tristem datorem odit Deus. Et merito. Tristitia enim in seruitio Dei est quasi absinthium positum in esca Dei. bonum enim opus est esca Dei, sicut ostentum est prius. Præterea quum omnia bona nostra Dei sunt, & solum ea quæ de manu eius accepimus demus ei, sine tristitia debemus esse, quum oportet nos ei dare. Item quum eis quæ nullius vel parui valoris sunt, parua vel quasi nulla occasione ad eum legi efficiamur, satis potest Deo displicere, vt in eius obsequio vbi sunt tot causæ lætitiæ lætificari non possumus. ¶ Causæ lætitiæ quas debemus habere in diuino seruitio, hæc sunt: scilicet quod tanto Domino seruiemus, scilicet cui seruire regnare est, & q. in domum Dei imus. Vnde Dauid: Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, &c. Et quod tantum lueramur, scilicet gloriam æternam. Vnde Psalmist. Et cantet in viis Domini: quoniam magna est gloria Domini. ¶ Quod verò tristitia ista valde diabolo placeat, potest ostendi per suum contrarium, scilicet per hoc, quod lætitia spiritalis valde ei displicet. Vnde 1. Reg. 4. dicunt Philistiini: Vae nobis: non enim fuit tanta exultatio heri & nudiustertius. Vg nobis, &c. Et beatus Antonius dicit quod vnicuique ratio vincendi inimicum, est lætitia spiritalis. Legitur etiam 1. Mach. 4. de Iuda, quod præliabitur prælium Israël cum lætitia. Et subditur, quod dilatauit gloriam populi sui. ¶ Nocet etiam homini tristitia tripliciter, scilicet eum affligendo, vnde Prou. 25. Sicut tinea vestimento, & vermis ligno: sic tristitia viri nocet cordi. Nocet etiam homini eum excæcando in his quæ ad Deum pertinent. Vnde in vitio patrū legitur: Vincula pedum impedimenta sunt cursoris, & tristitia impedimentum est diuinæ visionis. Nocet etiā tristitia spiritaliter occidendo. Frequenter etiā est alterius peccati occasio. Vnde Eccl. 30. Tristitiā longe expelle à te. Multos enim occidit tristitia.

*De vitio vite. CAP. XV.*

**T**ædium vitæ, est vitium decimum quintum, pertinens ad acediam, & prouenit ex longa tristitia in diuino seruitio. postquam enim aliquis tristitiam patitur, paulatim corrumpitur, adeo vt non